


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis 21. ~~*decimâ-quartâ*~~ *Februarii* M. DCC. XXXII.

M. PETRO AZEVEDO, Doctore Medico, Præſide.

An in Inflammationibus, Kermes Minerale?

I.



SANGUIS vitæ fons, vitam ipſe deſtruit, ſi ſuis vix retentus limitibus, alias ſedes occupare tentat. A centro ad periphæriam, ab extremis arteriarum capillamentis in venas, purpureus ille latex, indeſinenti motu propellitur. Variis humoribus conflatur cruor. Cuique à Naturâ conceſſæ ſunt humori ſedes. Hîc ſanguis globuloſâ lympaticâque conſtans parte, lympham tantùm deponere amat; limpidus ille humor ſubtilitate ſuâ lubricus, permeat vaſa cruori vetita. Illic globuloſa ſanguinis pars venas appetens, præterlabitur. Fruſtrà lymphæ canales, ſanguineis inoculantur, aditus rubro denegatur ſanguini; inſtat *Syſtoles* fruſtrà, vaſa lymphatica nunquam ſubibit ſanguis; venas adit, & valvulis ſuſtentus, Muſculorum vi adjutus, pediſſequo ſanguine propulſus, venarum ipſomet motu

compreſſus, Cordi refunditur, ut inde poſſit novis luxurians viribus, iterum atque iterum ſuas obire functiones, redintegrare motus. Quot nobis ex hocce legitimo circuitu bona! Sed ſi leges indocilis pati ſanguis, ſuis æſtuat in limitibus, quot undique ſæviunt malorum irritamenta! Liquores nullo ordine ſervato, currunt quo nefas eſt ire, impetum vix ſuſtinent Vaſa, accenditur Bilis, debacchatur Sanguis, avolat Lympha, quo fugere? Ab Altiſſimo creata ſuccedit nobis Medicina; ea cuique morbo ſuum apponit remedium, humorum exagitationi, ſedans & reprimens, ſuccorum lentori, actuoſum & ſuſcitans, fibrarum ſedat ſpaſmos, fluidorum temperat furores, depreſſum ſolidis reſtituit tonum, liquidorum ſuſtinet κρασιν. *Ea non huc illuc per omne remedii genus oberrat, nil ratum certumve obtinens, ſicuti imperita vulgi ſtoliditas.* Ea rationis ope videt, auxiliante experientiâ agit, ſtudio & uſu edocta, in morbis omnibus tuta & certa tantùm adhibet remedia.

Fern. meth. Med. lib. 1. c. 7.

II.

Eccleſiaſt. c. 30. v. 15.

EX quo homo deliquit in conſpectu ejus qui fecit illum, Morborum pullularunt fontes, innumeris penè malis obnoxia fuit Gens humana; ſæviſſima ſanè omnium inflammationes. Inflammatio eſt ſanguinis intruſio in vaſa lymphæ dicata. *Vaſa lymphatica ſunt canaliculi pellucidi, liquidum tenue ferè aquoſum à partibus revehere nati.* Si violentiori actus impetu ſanguis, hoſce canaliculos permeare ſatagit, ipſo momento æquilibrium ex quo ſanitas proximè emergit, ſubvertitur, ſanguinis præſentiâ vaſorum deſtruitur tonus. Intereà ſanguis audax omnia pervadere, cœco pede premit curſum, viam non invenit ob vaſorum ſpaſmum, firmamque humorum in minimis vaſis ingurgitationem. Quis tunc in liquoribus progreſſionis, fluiditatiſque motus? Quænam in vaſis *Syſtoles* vel *diaſtoles* norma? Febris ardet, pulſat lancinans dolor, exagitatur æger, mens ſemper irrequieta turbatur, omnia rejicit, ſuſpirat, aërem exoptat, frigida exhaurire amat, lingua arida & aſpera exploranti digito ſentitur, vehemens eſt Præcordiorum æſtus, alvus ſicca, urina parcior, atrociſſima ruunt undequaque ſymptomata. Cauſas inveſtigare cupis? Quidquid poteſt ſanguinem vel citiùs impellere, vel illicò compeſcere. Ad ſua munia ſanguinem revocare meditaris? Vaſorum removeatur ſpaſmus, minuatur humorum deviantium impetus. Hinc ſanguis largâ manu & feſtinanter detrahendus, & ab ægrâ parte omni quo poſſis modo auferendus. Sed ex uſu Kermes mineralis tot & tanta ſperari-ne poſſunt? etſi præmiſſarum evacuationum beneficio ad ſe redire videatur æger; anguis latet ſub herbâ, cineri doloſo ſopitus eſt ignis, pulſus languidus modò tamen renidet, interdum apparent renaſcentis doloris veſtigia, à ſulphure ſtibiato rubro-ſulphurea pars ſanguinis caveas ne ſuſcitetur, exagitationis reformida ſcintillas, ſilentium non motus requiritur, magnitudo morbi tenuiſſima, febris & inflammatio refrigerantia expoſtulant medicamenta.

Heiſt. comp. Anat. p. 10.

III.

KERMES minerale, præparatio licet * jamdudùm cognita, à quibuſdam tantùm annis uſurpatur. Sulphurea eſt pars è ſtibio ope ſalis alkalini fixi educta. Sulphur nihil aliud eſt quàm multiplex veſicularum congeries igneam materiam concludentium. Adhibetur hodiè Kermes in omnibus ferè inflammationibus, Pulmonum, Abdominis, faucium, &c. Lympham præſertim

* *Glauber miraculum mundi.*

* Lemery Traité de l'Ant. 1707.

attenuat. Sed in inflammationibus vitium ne eſt in lymphâ an in ſanguine? *Morbi quos vel ſanguinis ubertas, vel eruptio progenuit, ſunt Phrenitis, Ophtalmia, Angina, Peripneumonia, ... omnium denique partium inflammationes dictæ Græcis* φλεγμόναι. * *Morbi inflammatorii ſtaſes ſunt ſanguinis.* In inflammatione quid præſtat Kermes minerale? Fibras ne rigidas ac tenſas humectando relaxat? Motum inteſtinum partium ſulphurearum in ſanguine figit ne ac complacat? Nil ſulphure inflammabiliùs, nil aptiùs ad inflammationem ſuſcipiendam quàm ſanguis. Exerit ne virtutem antiſpaſmodicam Kermes? Pulſum explora, jamjam exagitatus ſentitur ſanguis, arteria valida & fortis digitum tangentis repellit, reviviſcit fortiùs febris; ne inſenſili confidas perſpirationi, vigente inflammatione nimius eſt vaſorum ſpaſmus. *Omne membrum dolens ac inflammatum contrahitur, ſimulque pertrahit omnia ſibi connexa atque colligata*, pungit dolor, ſibilat anhelans ſpiritus, ad miſſiones ſanguinis recurrendum, ſin minùs fatalis extimeſcenda Sideratio, ſin minùs ſanguis qui impedita frangere non poteſt *Staſi* afficitur, ſerpit ſphacelus, mortemque prænuntiat. Nonne ſymptomata ſedare, ſanguinem pacare, quàm exagitare tutiùs foret.

Fernel. meth. Med. lib. 2. c. 5.
* *Frid. Hoff. t. 3. cap. 3.*
Menjotii Diſſertationes de Pleuritide, p. 182.

IV.

NATURA morborum medicatrix, inflammationes, aut ſuppuratione, aut reſolutione ſæpiſſimè curat. Suppuratio eſt converſio ſanguinis in liquorem album, quem pus vocant. Reſolutio eſt quædam criſeos ſpecies quâ morbifica aufertur materia, per alvum, urinas, vel per alia corporis emunctoria. Interdùm inflammationes *Metaſtaſi*, ſæpiùs ſuppuratione abſolvuntur; ut hæc perficiatur, ſyſtaltica vis vaſorum maximè proficit. Fluidorum recreandus eſt motus, ſed non adaugendus; Natura adjuta viget, coacta proſtratur; rumperentur vaſa, ſi citatiori motu donaretur ſanguis, nullus ordo foret nec æquilibrium. Febris ſemper adeſt, & motûs ſufficientis eſt ſignum. Kermes minerale, & fluida exagitat, & ſolida tenſione afficit. Sulphur eſt, & rarefactione ſuâ ſanguinem protrudit, impulſione ſanguinis adaugetur inflammatio, ex quâ pendet ſymptomatum ferocia. Quin immò non-ne nobiſcum exclamat experientia? Æger maximâ febre, tuſſi continuâ, ſanguineo ſputo laborat, inſtat dolor in latere pungens, ſpirandique difficultas; 7° morbi die omnibus fruſtrà adhibitis remediis, in eo devenit ſtatu, ut abdomine tumido, & ſputis ſuſpenſis, pulſu ferè careret. Lumina obvelantur, nec vox nec ſenſus vigent, omnia jacent ſubmiſſa. Ciendus eſt ſanguis, ſuſcitanda ſunt vaſa; Kermes propinatur, & ſenſim ſine ſenſu inductâ ſanguinis rarefactione vegetant arteriæ, ſcintillant vires, Natura juvatur, apparent excretionum molimina. Aſt in morbis inflammatoriis, in morbis in quibus febris ardet, dolor lancinat, corporis adeſt incendium, uſus ſedantium ſemper prævaluit. *Frigidis utendum eſt in morbis unde fluit, aut fluxurus eſt ſanguis.* * *Ubi morbus peracutus eſt, extremè tenuiſſimis uti neceſſe eſt.* Adeò conſtat inflammationum curationem, à ſolâ ſedatione pendere.

M. Lemery Mem. de l'Acad. des Sci. 720.
Hipp. ſec. 5. v. 25.
* *Id. ſc. 1. v. 7.*

V.

KERMES ab inflammationibus arcendum dubitas? De illius effectibus quid eſt certi? modò vomitum ciet, modò alvum, modò urinas, de doſi nil ſtatuendum. In morbis acutis, in morbis quos præciſus circumſcribit dierum numerus, terendum ne eſt tempus in præſcribendis infidelibus remediis?

Efficax ut ſit Medicina, eniti ſemper debet Medicus. Dices ſanè inflammatio eſt ſanguinis vaſa minima obſtruentis ingurgitatio, nihil eſt potentiùs in obſtructionibus, quàm ſulphur rarefactionis capax. Equidem, ſed duplex eſt obſtructio; à *Staſi* & à Stagnatione. *Staſis* à citatiori, Stagnatio à perdito liquorum motu pendet. Hîc ſolidorum eſt ſpaſmus, illic *atonia*, hîc vires compeſcendæ, illic ſuſcitandæ. *Staſεωs* Curatio non in eo conſiſtit, ut, qui jam propulſus eſt extra ſua vaſa ſanguis, fortiùs protrudatur; magnis evacuationibus cogi debet cruor viam ſuam relegere, & in ſua ſe conferre vaſa. Aſt Kermes minerale fluida exagitando, ita *Staſim* adauget, ut regreſſus omnis denegetur. In obſtructionibus verò à ſtagnante & paludante fluido, Kermes incendiariis ſuis partibus ignem & motum præ ſe ferens, fluida ad circulationem promovebit, vaſorumque fugabit *atoniam*. Inſtabis, interdùm vividam expetunt concuſſionem vaſa, ut morbi vim proprio marte poſſint excutere, interdùm irritare, quàm ſopire malum ſatius eſt. Aſſentimus, ſed innumera penè ſunt alia remedia quorum certiſſimi ſunt effectus, ſi materia turgeat, ſi quid movendum ſit, moveas, ſed moveas tutò, ne præbeas medicamentum quo non ſemper ſublevetur Æger, à quo morborum cauſæ, nedum fugantur, alacriùs ad devaſtationem impelluntur.

Non ergò in Inflammationibus Kermes Minerale.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Hieronymus Coſnier.

M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius, & in Majori Conſilio Medicus ordinarius.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. David Vaſſe, rei herbariæ Profeſſor deſignatus.

M. Andreas-Joſephus Seron,

M. Thomas-Renatus Gaſnier.

M. Petrus Azevedo, actûs Præſes.

M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.

M. Jacobus Fourneau.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA CHOMEL DE JOINVILLE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732. à ſextâ ad meridiem.

autor.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.